

HARDALES



HARDALES, siue Ardales, in foelicissimo totius Hispaniae Hispalensi agro (Axarafium Arabes vocat) Baeticę prouincię, itinere, quo ex Xeres Malagam itur, oppidum, seu potius apertum & amplu hospitiu, Hispanis Burgada, Arcem habet precellsa in rupe a Mauris quondam in limitibus Hispalensis imperij constructam, Quam Christiani deinde, foelicio re auspicio rerum domini, amplioribus aedificijs condecorarunt. Aquaduatum habet, cuius beneficio ex montibus vicinis fontana & limpida aqua in arcem, & inde in oppidum, ad varias ciuium comoditates deriuatur, quibus copiosum fontem largitur. Ciuium opes, victusq; ratio in agricultura potissimum consistit, & pecorum pastu, cum foelix aruorum vbertas, magnam triticeę mellis letitiam ipsis, nature beneficio, prebeat, vt non immerito Græcorum carmina, Elysias amoenitates huic, & vicino Hispalensi agro tribuerint. Hinc frugibus, & tritico preesertim abundant, quod in subterraneis cellis, seu puteis eleganter & cautę conseruant. Quę recondendi ratio, & nobis in Coloniensi agro degentibus, & in foelicis belli diuturnitate attritis, necessarid excogitanda foret, quibus hostiles pradonum excursiones nullum horreum, a Vulcani rabie tutum, relinquunt.

CARTAMA.

CARTAMA miliaribus duobus a Malaga distans ad maximi montis radices, qui ad mare vsq; Mediterraneum se extendit, oppidulum, cum castro in cõtinenti situm, in agricultura, & pascendis pecoribus se exercet. Multas in vicinia habet glandium & gallarum syluas, quarum ad atramentu conficiendum, & ad coria densanda, tum etiam in medicinis, est vsus. Venatio hic, & aucupium frequens, ob venustam loci elegantiam: Hic enim aperire se incipit cultum & foecundum Malagense solum, quod ad Mediterraneum mare, continuata vbertate, sese extendit, Et varia fructuum ac herbarum genera, quę ad exterarum etiam gentes, procul emittuntur, producit. Et inter reliquas, herbam, quam Itali Somacho, Hispani Sumagre, Belgę Sõmack, etiam Smack nuncupant, apud Latinos nomen habere Plinius negat. Folioru vsus ad paranda & condensanda hircorum & caprarum coria (corduana vocant) conducit. Et, qui canos oderunt capillos, decoctum foliorum, ad denigrandos capillos adhibent. Multi etiã hic cappares hinc inde promiscue in magna abundantia proueniunt, & a vulgari plebe collecti, in Mallagam, harum mercium emporium, importantur, inde, per mare in Belgiu, & ad alias prouincias transfuehuntur. Porrò hic mons, cui Cartama adiacet, versus Aquilonę, omnid syluestris est, ab alia autem parte, vineta continet, quę vina, nec non vuas passas saporis optimi, læta copia prestat. Inter vineta autem videre est amygdala, & frequentes ficus, quę propter prestantiam, abundantia maxima singulis annis, ad omnes prouincias ratibus transportat. In duas autem partes, diuersasq; appellationes hic mos diuisus est, Quarũ vna la Sierra, Altera la Cerquia nominatur, vnde etiam vtriusq; loci vuę passę, eandem appellationę fortiuntur. Porrò, etiam si in hoc oppido nullę sint vineę, nec vina calcentur, nec vuę passę preparętur, sed magis in circumuicinis montibus Mallagę, & Velis Mallagę; tamen, quia iste mons huius foelicitatis principiu existit, idcirco, ad curiosum oblectandum lectorem, modum conficiendi & condendi vuas passas, quarum gratus nobis Germanis est vsus, hic breuiter describemus. Eas potissimum Mauri conficiunt, qui hos montes plerumq; incolunt. Duo sunt Vuarum passaru genera, quorum vnũ, Vuam passam Solis, quę est cerulea; alterũ, Vuam passam lixam, quę est corbea, nũcupant. In primo conficiendo, ita procedunt: Quando botrus ad id opus destinatus, maturefcit, peduculum vuę abscindunt ad medium, ita, vt humor radicalis illum amplius penetrare nequeat, attamen in pampino & vite pensilis maneat, Tum calore solis vua exsiccat, post sufficienter exsiccatam, colligunt, & in vaia recondunt. Alterum verò genus, hac ratione cõficiunt. Dum vineę putantur, abscissos brachiorum ramos, in fasciculos colligant, eosq; ad vindemię tempus reseruant, quos tunc exurentes, ex cineribus, in magnis vasis lixiuium parant, colligunt vuas, & vnãquamq; sigillatim huic lixiuio immergũt, easq; deinde in aream obduratam benę purgatam, & ad id in vinea adornatam, ad meridiem collocant, vt ibi in eas, lixiuio conspersas, solis radij operentur. Exsiccatas & a sole sufficienter concoctas, corbis inferciunt, Et hinc vuę passę corbeę nũcupantur. Eodem etiam modo fiunt ficus corbeę, ramorum aridorum ex ficibus amputatorum & combustorum lixiuio.